

(*Pedotrichia fragmaria*)  
Geminatus in gemina

1768

XVIII. 2. 94

<http://join.org.pl>





1862

MF



**GEMINATUS**  
IN GEMINA, SOLUTA SCILICET & LIGATA GRATULATIONE  
APPLAUSUS  
**CELSISSIMO, ILUSTRISSIMO**  
EXCELLENTISSIMO REVERENDISSIMO DOMINO  
**D. JOANNI GABRIELI**  
COMITI IN PODOSIE JUNOSZA  
**PODOSKI**  
DEI & SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA  
ARCHEBISCOPO GNESNENSI  
REGNI POLONIÆ & MAGNI DUCATUS  
LITHVANIAÆ  
PRIMATI PRIMOQUE PRINCIPI  
**LEGATO NATO**  
TINECensi & PARADISIensi ABBATI  
EQUITI AQUILÆ ALBÆ  
SIMUL NATALIS DIEI DIVINISSIMO GABRIELI ARCHANGELO  
SACRI LÆTITIAM, SIMUL AMPLISSIMÆ IN POLONIA PRIMA-  
TIALIS DIGNITATIS CELSITUDINEM COMPLECTENS, AB  
ADDICTISSIMA SUÆ CELSITUDINI PROVINCIA  
MAJORIS POLONIÆ SOC: JESU.  
**INSTRUCTUS**

---

Ad V. Calendas Martias Anno Salutis MDCCLXVIII.  
Cum permisso Superiorum Cracoviæ Typis  
Casimiri Jakowiski S. R. M. Typographi





## PRINCEPS CELSISSIME

**D**ilectissimi istius, quō hactenus usi fuimus  
PRINCEPS CELSISSIME in sum-  
ma præsertim Fortuna Tua Silentii,  
tametsi à nobis rationem non postulas:  
tamen permagni nostra interesse, Te scire  
putavimus: quid illud esset, quod quomi-  
nus citius gratularemur, & optimas volun-  
tates nostras & orationem tardaret. Nam &  
officium negare, quod Viris præsertim Prin-  
cipibus debeas, impudens ac propemodum  
furiosum est: & in tempus bene longum  
differre, aut remissæ voluntatis aut negli-  
gentiæ certè suspicioni obnoxium. Ac nos

A2

qui-

quidem licet utrumque suspicionis genus  
a nobis etiam atque etiam si sapimus amo-  
liri debemus: tamen si utrumvis eligendum  
foret, minus potius officii memores, quam  
**Tui PRINCEPS MAXIME** parum Cupi-  
pidi, Tuaeque benevolentiae videri parum  
studiosi mallemus.

Verum ne ita quidem res habet; non  
ita Societas ad omnem sensum humanitatis  
occalluit: ut aut ignoret quid Tibi **PRIN-  
CEPS CELSISSIME** debeat; aut, si hoc  
quod nemo nescit, etiam Illa pulchre in-  
telligit, esse sibi negligentiori atque obli-  
osae hac in re existimet licere.

Ecquid ergo hucusque cessa vimus?  
nimirum illud obstabat ut ut vehementer  
conantibus, quod sine summa Tua laude  
commemorare non possumus Turbam titu-  
lorum, quae Te uno eodemque tempore  
circumsttit, titulorum inquam **ARCHIE-  
PISCOPI Gnesnensis, Regni Poloniæ & Ma-  
gni Ducatus Lithuaniae PRIMATIS, Pri-  
mique**

mique Principis, Legati Nati, Tinecensis  
& Paradisiensis Abbatis, Equitis Aquilæ  
Albæ, alia item turba Principum, Antistitium,  
Senotorum, Procerum, Cœnobitarum,  
Clientum, Emphiteutarum, omnium de-  
nique Ordinum turba Consequuta est.  
Gestiebant scilicet gratulari Suo Æquali  
Principes, suo Præsules & Senatores Col-  
legæ, suo Primati Gentis utriusque Pro-  
ceres, suo Cœnobitæ Abbatii, suo Clientes  
& Emphiteutæ Domino, Clerus demum  
atquè omnium Ordinum Populi Suo Præ-  
suli, Pastori, Patri.

Turbam hanc Nostræ etiam Societatis  
accessione fuisse cumulatam oportuit. Ad  
gratificandi officium invitabant nos tum  
communes omnibus, tum soli Societati  
peculiares causæ. Summi Principis sum-  
miquè Antistititis ratio, & ut verbô com-  
prehendamus plurima, Proregis urgebat  
dignitas, ne communibus tam Polonæ,  
quam Lithvanæ Gentis deessemus officiis:  
immor-

immortalia Benefactoris, Patris, Fundato-  
ris nomina tam acres animis nostris sti-  
mulos addiderunt: ut neque se tacere So-  
cietas posse sine summo dedecore, nec  
nisi cum summa grati animi significati-  
one, si quid dicere vellet, sibi existimaret  
loquendum,

Nequè enim tam rerum ignari su-  
mus, ut Eorum duntaxat, Qui Primi no-  
bis benignè fecerint, & non Eorum etiam,  
Qui sibi Successerint, nobis habendam ra-  
tionem putemus. Cum in locum Magno-  
rum Principum succeditis Principes; non  
in Magistratus modo, terrarumquè domi-  
nia, verùm & in beneficiorum usurpati-  
onem Communionemquè succeditis. Ergo  
quidquid in Posnanjenses atquè Calissi-  
enses Karnkovijs & Mathias Lubienſcius,  
quidquid in Socios Lancicienses Theodo-  
dorus Potoccius, quidquid in alios Alii  
Archij Präſules beneficii contulerunt, id non  
minùs ad Eorum liberalitatem, quam ad Tuam

PRIN-

**PRINCEPS CELSISSIME** benevolentiam  
pertinet. Scilicet Illi sociis in illis Regni  
partibus stabile domicilium fixerunt, Tu  
Conservas, Illi dotarunt, Tu ratam libe-  
ralitatem habes, Illi omnibus humanitatis  
& benevolentiae officiis prosequuti sunt,  
Tu non vanam spem gratiarum gratiis  
cumulandarum ostendis.

Istarum rerum omnium cum recens  
ac integra nobis obversaretur memoria,  
cum hinc grati atque memoris animi of-  
ficium, inde honestissima de Te bene me-  
rendi cupiditas nos ad gratulandum ur-  
geret: facile Tute Ipse existinare potes  
**PRINCEPS CELSISSIME**, quantis in-  
cenderemur studiis, universi Regni læti-  
tiam nostris etiam plausibus cumulandi.  
Verum cum hoc maximè conaremur, tur-  
ba illa magnificentissima, de qua paulo  
ante superius, quominus, quod factum esse  
oportuit, faceremus, obstitit. Nequè enim  
decuit, nequè si maximè deceret, licuit,

nos

nos cum tot tantisque Viris de loco ac tempore habendæ gratulationis contendere. Non id verebamur, ne nos ad Te accedentes rejiceret: 'cum nihil Tibi tam solemne sit, quam benignè quemvis, qui cumque demum adire velint, accipere: quam ne se quisquam nobis esse quereretur posthabitum

Ergo ne aut Societas Tuam PRINCEPS CELSISSIME benevolentiam captatura in aliorum offensionem incurreret: aut sexcentis gratulantium vocibus, sua obrueretur Oratio: ita demum apud animum suum statuit, ut tempori cederet, & necessarium silentium intempestivæ gratulationi præferret.

Nam & maxima illa negotiorum, quæ in Te, cum amplissimam hanc Dignitatem adires, incubuit moles, non Te magis, quominus audires, quam nos, quominus ita occupatum interpellaremus, verabat. Quo tempore Prorex, eodem ipso legum Custos, publi-

publicorum consiliorum à Rege secundus  
Arbiter, Religionis Assertor, Pater Patriæ,  
renuntiatus es. Uno igitur eodemque tem-  
pore Te per omnes Regni Partes oportu-  
it mentis oculos circumferre, neve uspiam  
Res-Publica quicquam detrimentū pate-  
retur attendere.

Cum hęc Tu sedulo PRINCEPS CEL-  
SISSIME faceres, cum afflictas Polonię  
res erigere, solidas etiam firmius consta-  
bilire studeres; cum animos discordantium  
reduceres, conspirantium regeres; cum ex-  
terna perinde atque domestica uno mentis  
contemplarere intuitu, cum pericula &  
Rei-Publicę & Religionis averteres, com-  
moda procurares; cum & suam Regibus  
observantiam, & legibus autoritatem, &  
Sanctitatem judiciis, & militię numerum,  
& œconomię soleriam, & pristinum bonis  
artibus honorem, & cæteris rebus omnibus  
suum restituere decus, suam reddere faciem  
voluisses: fieri qui tandem potuit, ut in par-

B  
tes

res tam diversas tamque multiplices distra-  
cto nostra Tibi importunitas obstreperet?  
Quasi vero aut saluti publicæ privato-  
rum negotia, qualia nostra sunt, ante-  
ferenda essent: aut quæ Tu communis  
boni causâ suscipis, non ad Societatis per-  
inde, atque ad cæterorum omnium com-  
moda pertinerent.

Quæ cum ego dico non dubito, quin  
**Tute Ipse CELSISSIME PRINCEPS**  
intelligas: silentium hoc nostrum, quod ad-  
huc tenuit, non tam silentium, quam ex-  
pectationem potius gratulationis, & ut ex  
animo loquar, tædium tam diuturni silen-  
tii existimari debere. Etenim sicut ii, qui  
consilium navigandi suscipiunt, etiam tum  
navigationi rectè dare operam dicuntur,  
cum è portu ventorum opportunitatem ob-  
servant: sic qui tam ægrè tacet, ut quid-  
vis aliud quam tacere mallet, loqui potius,  
quam silere ( & ut Romani Oratoris uta-  
musr verbis ) etiam cum tacet, clamare  
censendus est.

At

At satisfactum est aliquando saltim  
diuturnæ expectationi nostræ: oblata nobis  
tandem illa facultas est, qua quid animi  
nobis in Te, Tuamque Dignitatem sit, pa-  
lam declarare possumus. Illuxit optatissimus  
dies ille, quô & nobis disertis, & Tibi  
soluto ac libero esse non solum licet, sed  
etiam oportet; dies inquam Natalis Tu-  
us, Divinissimo perinde GABRIELI Tu-  
telari, atque Tuæ Ipsius Amplitudini, Ho-  
nori, Dignitati sacer. Dies hic CELSIS-  
SIME PRINCEPS & Tibi annuam cele-  
britatem reduxit, & omnia illa, quæ nos  
antea morabantur obstaculorum incom-  
moda sustulit.

Nam licet iidem ipsi, Qui ad pri-  
mam gratulationem undique convenerant,  
hoc etiam tempore non infrequentes con-  
fluxerint; tamen quia dies hic ab iis,  
qui hoc munere jam antè perfuncti sunt,  
non tam orationis officium, quam præ-  
sentiam postulat; isthuc etiam commodi

IUO natali consequimur, ut solis ferme nobis detur dicendi campus, cæteri omnes cädem ipsâ quâ Tibi gratificantur operâ, nostræ etiam erga Te luculentissimi testes voluntatis adfint. Illud etiam accedit, nemini mortalium potiori jure, quâm Tibi hodierno die vacationem omnium negotiorum competere.

Natalem Tuum PRINCEPS MAGNE celebramus Poloni: hoc vero quid est nimirum DEO primum rerum omnium Autori, quod Te non modo Polonizæ dederit, sed quod & multis & præstantibus naturæ donis Tuam nativitatem ornarit, quantas quisque potest gratias maximas agere, Tibi Ipsi & successus faustissimos, & longævam incolumentem precari, magnifica conviviorum lautitiâ, artificio ignium apparatu, exercitii bellici fremitu, populum universum suis etiam ut precibus, votis, plausibus communem universi Regni lætitiam cumulet, adhortari.

Hic

Hic jam quivis animadvertis velim,  
cujus tandem æquitatis res esset, cum o-  
mnes mortalium omnium ordines Tuā cau-  
sā lætitia gestiant, exultent, gratulentur; cum  
omnes alii in savissima hujus diei amœ-  
nitate velut in quodam optato portu e sex-  
centis laboribus, & molesta navigatione  
respirent: Te unum solum nihil de su-  
percilio ponere, ad fluctus & scopulos  
jam Ecclesiæ, jam Rei-Publicæ attende-  
re, præ vehementi solicitudine salutis pu-  
blicæ, nullo sensu neque privatæ felicita-  
tis, neque lætitiae communis tangi.

Omitte, omittit quæso PRINCEPS  
CELSISSIME vel ad unius diei curricu-  
lum graviores curas. Non hoc à Te  
Dignitas, non hoc Polonia postulat, ut  
semper, sed ut sibi cum laborat, invigi-  
les. Non est hoc tempore hujusmodi  
rerum nostrarum conditio, ut si vel u-  
nius diei opportunitatem neglexeris, de  
summa Re-Publica agi existimandum sit.

Quin

Quin vereri etiam è cordatioribus plerosque mihi videre videor, ne plus omnino perdat, nisi Tibi interdum parcis, quam lucretur, si nunquam feriaris, Polonia. Nam etsi de ea, quam adhibes diligentia ad unum diem remiseris, tamen consequentur Poloni Fodem ad nitente & adlaborante Te alio tempore, quod hodie confectum non fuerit: nec quod sapienter a Te dilatum erit, ablatum credent: si nunquam Tibi p̄perceris, verendum est: ne una Tecum ea quæ expectabant, se amisisse lugeant. Servare Te debes Patriæ, non prodigere pro Patria: quæ profecto sat magnum sibi solatium retulisse videbitur, si Tanto, Quantum semper in Te suspexit, Viro, vegeto atque incolumi diu se frui posse intelliget

Habes in hoc uno die collectum quidquid à magnis curis atque laboribus animum Tuum honestissimo laxamenti genere levare & recreare possit. Nam ut missa faciam

faciam, quibūs Tu non magnopere caperis, populi gestientis plausus, factitiorum ignium prodīgia, Symphoniacorum voces, æris explosi tonitrua, quæ non tam Tui, quam populi potius exhilarandi causā fieri non nescio, Illustriſſimæ Familiae Tuæ, Nobilissimi post natos homines, PODO-SCIANI commemoratio Nominis, quæ si ullo alio tempore, hoc die certè sibi jus vel maximum vendicat, quam putas huic accomodata tempori, quam justa, quam Te Tanto digna Principe, quamve ad levandos plus quam Herculeos labores Tuos apta Tibi fore videbitur?

Experire amabo Princeps Celsissime, quam svaviter generosum pectus afficiat, Majorum Nomina, studia, recte facta, dignitates, gloriā recordari. Non è dico, quòd Te hæc latere putem: sed quòd præ negotiorum turba horum Tibi meminisse non liceat. Nunc cum tantillum otii nactus es, adverte sis animum ad præ-  
terit-

teritorum temporum memoriam, quām-  
ve erit atque usitato Majoribus Tuis  
itinere ad amplissimam istam Dignita-  
rem perveneris, unā cum studiosissimis  
Tuis Illustrissimi Nominis etiam atque  
etiam attende.

Ac primum quidem si Prosapiarum  
omnium præcipua laus atquè commen-  
datio à Nominis antiquitate, ducitur:  
**hęc Illustrissimę PODOSCIORUM Fa-**  
**milię vel in primis competit.** Mitto  
commune multis **JUNOSZARUM** voca-  
bulum; Quorum et si per tempus liceret  
vestigia persequi, rem ramen aggredie-  
rer prope immensi operis: ut quę a prin-  
cipiis ipsis constitutę Polonię, inde us-  
que repetenda esset. **JUNOSZARUM**  
inquam, Quorum Vos PODOSCIIL Pars  
estis maxima Nomen hoc loco mitto:  
ne scilicet non tam breve laudum Ve-  
strarum compendium facere, quām plu-  
rimorum scriptorum libros in hoc unum  
opus

opus velle transferre videar. Hoc dico : si-  
mul atque PODOSCII à Podosie nomina-  
ri cœpistis, quod annis abhinc fere quadrin-  
gentis contigit, Vos non solum hoc Nobis-  
simo Nomine, verùm & magnitudine  
rerum, quas gessistis, & honorum gloria  
quos assecuti estis tam domi floruisse quam  
foris.

Fulsistis enim jam tum præclarissimis  
Vexilliferorum , Judicum, Capitaneorum ,  
Succamerariorum Titulis, Derslao Zakro-  
cimense Vladislao Poloniæ & Hungariæ  
Rege, Paulò Proavô Tuô Ciechanoviense  
Vexillum obtinentibû : Joanne in Ciechano-  
viensi ora jus pro Rege dicente, Terrestri  
(ut loquimur) Judice, Valeriano Rožáni-  
scensi & Makoviensi, Altero quem Derslai  
Vissegrodensis Castellani Filium fuisse histo-  
riis proditum accepimus, Varsaviensi, Li-  
vensi, Lomzensi, Kaminensi, Joanne, Qui  
Raciazensis Castellanus postea Ciechano-  
viensi Capitaneo , Joanne Zakrocimensi

C Suc-

Succamerario. Vedit Patria, exteræ vide-  
runt gentes, quanta cum Nominis Vestri  
gloria in Publicis Regni Ministeriis cum  
versati estis: cum Joannes PODOSCIUS  
apud Joannem Conradum Ziemovitum Ma-  
soviæ Ducem, Mareschalei, & Campidu-  
ctoris Masoviæ, Mathæus apud Sigismundum  
Primum Pocillatoris, Mathæus alter  
Thesaurarii Regni, Sebastianus Mareschal-  
ci itidem Regni, Adalbertus Castrametato-  
ris obirent partes. Mirata est demum Polo-  
nia Vestram PODOSCHI virtutem belli,  
sapientiam domi Derslao Visslogrodensem,  
Derslao altero Zakrocimensem, Joanne al-  
tero Raciazensem, Altero Ciechanovien-  
sem, Andrea Slensensem Castellanis: Bar-  
tholomæo item Sandomiriensem, Nicolao  
immortalis memoriæ Viro Parente Tuo Plo-  
censem, Masoviem Ludovico primùm,  
Joanne deinde, & Palatinis & Generalibus  
Masoviæ Sellas curules tenentibus.

Neque

Neque vero est quod quisquam putet  
PODOSCIOS ita ad haec Dignitatum subse-  
lia venisse: ut in ea vel casu incurrerint,  
vel obscuris itineribus adrepserint, vel ami-  
corum ope, hominumque Potentiorum stu-  
diis occuparint. Constanſ & certa Gentis  
Iſtius virtus, merita, recte factorum glo-  
ria cæcam fortunæ temeritatem excludunt,  
obscuros ad dignitatem aditus repudiant,  
aliis Amicorum, quam quæ ſibi præclara  
virtus conciliare ſolet, ſtudiis non nituntur.  
Video enim, cum oculos per Poloniæ An-  
nales circumfero, video inquam PODO-  
SCIOS tam claris, tamque multiplicibüs  
erga Patriam Civesque ſuos tam pacis,  
quam belli temporibus egregiam voluntat-  
em argumentis probasse: ut haec neque ne-  
ſciri à Re-Publica, neque cum ſcirentur,  
ſine summa mutuæ voluntatis erga tam be-  
ne meritos testificatione negligi potuiſ-  
ſent.

Quid? Dersla Zakrocimensis Vexilli-  
C2 feri

feri obliviscatur aliquando Polonia? nimirum tunc Viri istius Polonis elabetur memoria, cum pacis cum Teutonibus Brestæ Vladislao Poloniæ & Hungariæ Rege illius opera compositæ injuriâ temporum omnia monumenta perierint. Donec tam insignis obsequii aliquod extabit vestigium: fieri certè non poterit, quin gratissimâ semper Res Publica quantum PODOSCIIS debeat recordetur. De Joanne Mareschalco & Campiductore Masoviæ, aliqua conicescet extas? ego vero mihi facile persuadeo: nihil seculis Joannem de Ducau Masoviæ, atque hoc ipse nomine de Universa Polonia, quam aut Scipionem Africanum, aut Druſum Germanicum de Romano Imperio meritum existimari debere: propterea, quod quemadmodum immortalis memoriæ causâ Senatus Populusque Romanus Scipioni ob devictam Africam, Afriçani, Druſo ob fractos bello Germanos Germanici, sic Joanni Ziemovitus Masoviæ Princeps à fusis

præ-

prælio Bohemorum Copiis Bohemi, aut quod magis placet, Bohemici, sic Eum passim vocitare solitus, honorifcentissimum addixit Nomen.

Non defuerunt igitur PODOSCIIS, hostem qui bello vinceret: sed nec defuerunt etiam, qui Romanæ virtutis æmuli, P. Decii Consulis exemplo ferociter in adversas acies inventi, inter sexcentas hostium cædes, fortiter pro Patria dimicantes occumberent. Cujus Herois mentionem faciat oratio, quæritis? Carolum PODOSCIUM in memoriam vobis revocatum scitote; Hic inquam Heros postquam medios inter hostes ad oram Volkovicensem ingenti clade resistentium edita circiter Annum sexcentesimum supra Milesimum strenue depugnans cecidit; suo docuit exemplo: quanto tandem ad immortalitatem Nominis comparandam firmius atque stabilius est, in acie morti fortiter occurrere, quam audacter in acie mortem lacestere; in magnis ho-

hostilium, quos Ipse feceris, cadaverum  
acervis eadere, quam incolumem Manibus  
devoto hoste Victorem è campo dece-  
dere.

At quo (inquieris) argumento docetur  
Victor potius quam victus Carolus cecidisse  
in acie? nimirum quia quotquot id tempo-  
ris bello ceciderant, objectu Corporum  
suorum ruentes in perniciem Poloniæ tarda-  
bant hostes, novis extra Patrium solum  
tumulis ampliores Poloniæ designabant li-  
mites, fuso sangvine aut licitabantur Smo-  
lenscum, ditionesque conterminas, aut  
captum jam & occupatum Posterorum suo-  
rum dominio, utilitatibus, gloriæ conse-  
crabant.

Hic ego Smolensi mentione injecta im-  
perare mihi non possum, quin loco hoc o-  
rationem meam Joannis PODOSCII Cie-  
chanoviensis Castellani Clari in primis Vi-  
ri commemoratione cohonestem. Ille  
namque potius orationi, quam illi Oratio  
nostra

nostra decori, futura est; tam insignibus  
quæ naturæ dotibus, quæ præclarè gestorum  
ornamentis florebat. Itaque nullum erat  
aut tam illustre, aut tam arduum, quod  
boni Communis causâ absolvî oportuisset  
negotium; in quò integritas, magnitudo  
animi, prudentia, dexteritas Joannis cum  
summa Rei. Publicæ approbatione versata  
non fuerit. Investiri (ut passim loquimur)  
auctorari potius Marchionem Brandebur-  
gicum oportuit; hoc tam Illustri munere  
Regis loco Joannes perfunctus est: litem de  
finibus Poloniæ inter atque Marchiam  
sopiri, huic etiam Controversiæ Joannes  
Arbiter præfectus est: Provinciam Smolen-  
scensem ruper adjunctam Poloniæ ad offi-  
cium compelli, bonis muniri legibüs, pa-  
cem cum finitimis componi, rem denique  
totam è dignitate Rei. Publicæ Polonæ ge-  
ri necesse fuit: Joannes Provinciam illam  
Arbiter designatus adiit, reliqua, si qua  
ex tanto bello, quantum præcesserat, peri-  
cula

cula timebantur, sustulit, manum ultimam  
pacis conditionibus imposuit, sanctissimis  
legibus Provinciam adstrinxit, tam Sancte  
tamque integrè suo perfunditus munere: ut  
non Polonia minus, quam Smoleniscum ab  
Ilo sibi satisfactum gauderet; nec satis  
scio, an Illud majore cum desiderio Joannem  
confectis negotiis abscedentem dimi-  
serit, an Illa majore cum gratulatione ve-  
nientem acceperit.

Fortunatus profecto Vir tam insigni re-  
rum gestarum gloria! at nihil minus for-  
tunatus credendus Ejusdem secum Nomini-  
nis Castellano postea Racizensi Filio. Si  
usquam alias, hic certe patuit, quam eni-  
xè natura in rerum, quas alias ex aliis pro-  
creat, similitudinem incumbat: tam ac-  
curatè Joannem Patrem in Filio Joanne ef-  
finixerat. ut non faciem solùm & indolem,  
verùm & eadem benè de Patria merendi  
studia, eadem in gravissimis Rei-Publicæ  
negotiis componendis munia, honorem de-  
nique

nique eundem felicissima quadam in Filium  
imitatione transtulerit.

Quod ego non sic à me dictum de  
Istis Duobus volo, ut non de aliis etiam  
**PODOSCHIS** dici debere putem. Non ego  
Illustrissimam hanc Familiam eo Beatam  
existimo, quod Unum Alterumve Insi-  
gnem Virum ediderit: sed quia Fabiæ Gen-  
tis instar quotquot **Capita** numerat, tot  
Amanissimos Rei-Publicæ Cives, tot sa-  
pientissimos publicorum negotiorum Arbitros,  
tot Patriæ Patres, tot denique Im-  
mortali memoria Dignos producit Viros.

Fidem præter Cæteros, Quorum supra  
meminimus Lucas Cracoviensis Canonicus,  
Præpositus Gnesnensis Orationi conciliet.  
Cujus ego Viri probitatemne prius & eru-  
ditionis præstantiam, quas ob res mirificè  
sibi charum Robertellus insigni virtute at-  
que autoritate Vir Lucam fuisse scribit, an-  
eam, quæ apud Principes Christianos flo-  
rebat, gratiam deprecarem, satis commo-

D

dē

dè constituere non possum. Non enim ut quorundam , sic Lucæ fama, atque industria se intra solius Poloniæ terminos continuit. Nunquam virtus natali solo clauditur. Sicut quæ cæteras inter excellunt plantæ, non ei, sub quo natæ sunt , sed ignoto destinantur Cælo: sic Illustrioribus animis ampliores, quam qui Cælo Patrio definiti sunt , constituuntur termini. Amant enim & peregrinam virtutem exteri: si præsertim in eos probitas inciderit , qui bonos in suis numerandos putent ; nec quicquam sibi tam domesticum esse oportere , quam virtutem existiment.

Cujus autem aliquando non solùm domi, verùm & apud Externos Principes major quam Lucæ virtuti ac sapientiæ habitus honor fuit? quis aut plures ad Imperatores Romanos legationes obiit , aut longius apud Ipsos, Ipsis hoc idem vehementer petentibus, hospitatus est? Evidem de Luca passim constat, Eum Serenissimi Augu-

Augusti primi Poloniarum Regis, bis ad Fer-  
dinandum, semel ad Maximilianum; Sere-  
nissimi item Stephani Bathorei nomine ad  
Rudolphum Imperatorem Romanum se-  
mel atque iterum Oratorem ivisse: quo  
tempore tam insignem gratiam apud Ma-  
ximilianum iniit: ut Eum nusquam ab se  
pateretur discedere, atque Legationis ne-  
gotiorumque tractandorum obtentu sex  
ipsos annos apud se manere cœgerit. Ita  
P. æstantissimi Viri virtute factum est; ut  
amore carissimæ sibi Poloniæ tam longo  
tempore Polono careret Cælo, magnam-  
que vitæ partem Patriæ commodis extra  
Patriam serviret.

En vias, quibus ad tam amplias in Re-  
Publica Dignitates contendebant PODO-  
SCII: hæ artes, hæc stratagemata, hæc  
arma PODOSCIORUM fuerunt; qui-  
bus animos cum suorum cum Peregrino-  
rum Principum expugnabant; hæc vis illa,  
qua & voluntates Bonorum omnium &

Magistratus honorificentissimos obnoxios  
**PODOSCIANÆ** faciebant Prosapiæ. In-  
nocentia, pietate, justitia, omni denique  
virtutum genere multò validius & ad gra-  
tiam Principum, & amicitiam Civium, &  
ad prima Rei-Publicæ subsellia, quām alii  
seu vi, seu dolō malo penetrae sole-  
bant.

Hanc ipsam Majorum viam / ut pro-  
pius ad Te jam accedamus **PRINCEPS,**  
**CELSISSIME**) hanc inquam eandem vi-  
am etiam Illustrissimus Parens Tuus Nico-  
laus Comes de Podosie **PODOSCIUS**  
Eques Aquilæ Albæ, Palatinus Plocensis  
institit. His virtutum & præclarè gesto-  
rum vestigiis Serenissimorum Regum AU-  
GUSTI Secundi & AUGUSTI Tertii sibi  
benevolentiam adjunxit, his ad sellam Cu-  
rulem Castellanus primùm Ciechanoviens-  
sis, deinde Plocensis Palatinus creatus, cum  
antea & Ciechanoviensis Pincernæ, &  
Aequissimi Legislatoris munere perfunctus  
esset,

eset , passibūs accessit . Hoc demum / ut  
rem infinitæ molis compingamus in pau-  
ca / hoc præclaræ virtutis, existimationis,  
sapientiæ, omnis decori stratagemate Illu-  
strissima comite in Szczawin & Trąbki  
Rypinensis Capitanei Filiâ, MARIANNA  
ROKITNICKA, Parente Tua, Foeminâ  
Lectissimâ sibi Matrimonio conjuncta To-  
tius Illustrissimæ ROKITNICCIORUM  
Familiaæ sibi voluntates subjecit. Tum  
unâ eâdemque operâ quidquid olim hono-  
rificentissimum in Tribus Ministris Regni ,  
quidquid in Castellanis tribus & viginti  
dignissimum, quidquid in Palatinis qua-  
tuor supra triginta magnificentissimum ,  
quidquid in decem Antistitibus Sanctissi-  
mum antiquitas cum PRAVVDZICCIIS  
venerata est Quidquid etiam in ROKI-  
TNICCIIS Georgio & Valeriano forte ,  
in Martino splendidem , Nicolao , Ludo-  
vico , Francisco Heroicum , Jacobo Dobri-  
nensi , & Joanne Rypinensi Capitaneis ad  
lau.

Iaudem eximium, ad memoriam excellens,  
ad Nominis perpetuitatem præcipuum fuit:  
totum hoc Illustrissimus Pater Tuus & sibi  
& Toti PODOSCIORUM adjunxit Nomini.

Et ut quām cœpi, vītricis & virtutis  
Vestræ, & Nominis allegoriam persequar,  
cum ad Amplissimas illas sangvinis necessi-  
tudines, quas cum Illustrissimis quibusque  
Protapiis PODOSCII contraxistis attendo:  
videor mihi intueri fortissimum perinde ac  
felicissimum Principem, Cujus nimurum for-  
tunā ac virib[us] inductæ regio es finitimæ  
ultra pacem & amicitiam expertunt, Socie-  
tatem cōeunt foedera jurisjurandi religio-  
ne sanciunt: tunc demum se tutas fore,  
tunc felices, tunc tranquillas ratæ, cum se  
Tanti amicitiâ Principis fultas & commu-  
nitas viderint. Eundem ad modum rem se  
habere PODOSCII Vobiscum intelligo.  
Eo scilicet Vesti Nominis existimatio pas-  
sim per Poloniam increvit: ut Florentissi-  
mæ quæq[ue] hujus Regni Familiæ, aut nuptias  
PO

**PODOSCI ORUM** àmbiant, àvidèque  
prensent, aut plenissimis lèxitiaæ, benevo-  
lentiæque significationibùs excipient.

Non enim video cur CZAR-  
TORYSCII, LUBOMIRSCII,  
RADZIWILII, KORECCII  
Principes; cur KOSTCAE, ZA-  
MOYSCII, SOBIESCII, SA-  
PIECHAE, CZAPSCII, O-  
GINSCII, DÀBSCHI, TAR-  
ŁONES, KRASINSCHI, SZY-  
DŁOWSCII, VAPOWSCII,  
TRZCIENSCHI, KARSCII,  
RUPNIEWSCHI, PRZEREB-  
SCII, KRĘSCII, SZCZA-  
WINSCHI, VOLKANOW-  
SCII, OSTROROGII,

ZEL.

ZELSCII, GORZENSCII,  
PSTROKONSCII, KOSCIE-  
LECCII, KOZICCI, ZALE-  
SCII, OLIZARII, BRZO-  
STOWSCII, CHODOROW-  
SCII, SUCHCZYCCII, SŁO-  
STOWSCII, NIEBORSCHII,  
PRZECZKOWSCII, BAR-  
TNICCI, MŁODZIANOW-  
SCII, ZOCHOWII, HUMIEC-  
CII, DROZENSCII, BRO-  
SZKOWSCII, non inquam video,  
cur Isti sexcentique Alii & rebūs, & Ge-  
nere clarissimi, arctissimis connubiorum  
vinculis se Vobis adstrictos tam enixē cu-  
perent; nisi & Nomen suum Illustrissimi  
Vestri Nominis conjunctione se cohonesta-  
tuos

turos fuisse crederent, & tam firmum suis  
rebus à virtute vestra mutuatos præsi-  
dium, quali nisi insigni cum incommo-  
do carere haudquaquam possent. Eò  
certè Consiliô Vestras consangvinitates  
prensabant, Vesta Nobilitate geminabant  
suam, Sanctissima Connubiorum Vobi-  
scum percutiebant foedera: ut Vestri  
scilicet claritudine Nominis, fortunarum  
amplitudine, Virtute, Sapientiâ suffulti  
in domesticis felicius, publicis in rebus  
tum honorificientius versarentur, tum for-  
tiùs.

At cumulatè opinor satis pro brevi-  
tate hujus operis jam dictum est, quàm  
insigniter cum Alii Majores Vestri, tum  
vero Illustrissimus Parens Tuus PRIN-  
CEPS CELSISIME Clarissimum  
alioqui PODOSCIORUM illustrârint No-  
men. Res ipsa jam admonere videtur, ut  
in Te demum acie mentis versa, quan-  
tum Illustrissimi Fratres Tui, quanto n-

E

Tu

Tu Ipse ad veterem PODOSCIANÆ  
Domūs gloriam dignitatis & commenda-  
tionis cumulum adjeceris, quæramus. Il-  
la, quæ superiùs diximus, eò pertinent, ut  
omnes intelligent: quantum & Tu PRIN-  
CEPS CELSISSIME Tantorum Virorum  
Hæres Fortunatissimus, & Illustrissimi Fra-  
tres Tui Vestris debeatis Majoribus: alte-  
ra reliquæ dictionis pars hoc sibi assumpsit  
negotium, ut quantum Vobis Majores Ve-  
stri, quantum Illustrissimum PODOSCIO-  
RUM Nomen debeat investiget.

Itaque nec de pueritia Vestra quicquam  
hac oratione dicetur. Evidem laudatissi-  
mam! fuisse / quod Superstites etiamnum  
illius ætatis sanctè confirmant Arbitri /  
passim inter omnes constat: tamen quia  
sanctitatem educationis, non secus, ac origi-  
nem & Nobilitatem generis non solum nobis  
ipsis, sed etiam secundum DEUM Paren-  
tibus debemus: æqui bonique opinor fa-  
cies PRINCEPS CELSISSIME,  
neque

neque indolem Vestram omnium rerum honestissimarum non modo capacem, verum etiam avidam, nec memoriae vim, nec aciem præstantis ingenii, nec puerilis vitæ gloriam innocenter transactæ me non tam inter laudes Vestræ, quæ Vobis nempe debeantur solis, quam inter beneficia cum Illusterrimorum Parentum, tum naturæ ipsius, quæ PODOSCIIS omnibus præstantissima contingit, reponere. Istitus commendatio generis homini cum vitibus etiam communis est. Plurimum ad laudem refert Rhoeticone an Amineo solo vites pullulent.

*Tmolus & affurgit quibus & Rex Ipse Phanaeus,*  
Ut inquit Virgilius Georg: 2d:  
sic multum ad mortalium Commenda-  
tionem interest, ubi & ex quibus nascan-  
tur. Sed quemadmodum vitium Aminear-  
um bonitas non tam vitibus quam solo  
tribuitur: sic naturæ; quam ex aliis traxi-  
mus præstantia ad Eorum potius qui

dederunt; quām qui acceperunt gloriam  
referenda est.

Ad illud, ad illud laudis genus festinat  
oratio, quod industriæ Vestræ, non san-  
givini, voluntati, non cunis, Vobis deni-  
que ipsis, non aut Majoribus aut Parenti-  
bus debetur. An enim Illustrissimi Fran-  
ciscus, Capitaneus Bobrovnicensis, Sta-  
nislauš, Succamerarius Dobrinensis, Mi-  
chael, Castellanus Ripinensis, Josephus,  
Palatinus Plocensis Fratres Tui Germani,  
Primus Præfecturæ Urbanæ, Alter finium  
regundorum prudentiæ, Castellaniæ Ter-  
tius, Postremus aut Palatinatui, aut Am-  
plissimæ temporibus Augusti Tertii ad Im-  
peratorem Turcarum Legationi ferendis  
essent: nisi ad eas, quibūs floruerunt Pue-  
ri, multò majores ætate confi māa eru-  
ditionis, experientiæ, virtutis, ornamen-  
torum omnium cumulos adjecissent?

An Tu Ipse PRINCEPS CELSSI-  
ME, nisi firmissimis illis, quæ Puer ad-  
modum

modum jeceras, fundamentis innocentia, probitatis, doctrinæ, humanitatis præclarissimam postmodum pietatis in DEUM atque Patriam tenerrimæ, eruditionis eximiae, justitiae, liberalitatis, misericordiae, prudentiae, humanitatis notissimæ Tuam met Ipsius industriâ præclaram superstruxisse molem, Idoneum Te & recte comparatum ad hanc tam amplam Dignitatem fuisse crederes?

Et ut inde laudem Tuæ corroboratæ ætatis repetam, unde pueritiae commendatio ducitur, illud mihi primum observatum dignum visum est: Te Illustrissimis Parentibus Tuis vernaculam, Arbitris tenetiaz ætatis Tuæ Latinam, & quas illis Magistris didicisti lingvas, Tibi Ipsi omnes, quas maturior jam percalluisti, debere, Quanquam ego ne pro illis quidem, quibus Adolescentulus assvesti, tantam Te existimo sive Illustrissimis Parentibus, sive Magistris Tuis, quantam Tibi Ipsi habere

habere gratiam oportere. Ab illis enim,  
quæcunque demum illa fuit, rudem ac-  
cepisti lingvam, à Te Ipso habes omni-  
bus pulcherrimis artibus perpolitam. Pue-  
rulus cum essem, acquisitis linguis ita u-  
sus es, ut Te pulcherrime didicisse lique-  
ret: Grandior factus ita loquutus es, ut  
vel Ipsi Magistri haberent, si adessent,  
quod disserent. Puerilis demum oratio  
Tua ejusmodi fuit, ut Te & ingenio  
acerrium, & studiò diligentissimum, &  
eorum, quæ semel perceperas, retinen-  
tissimum Juvenem facile fuisse convince-  
ret: eloquentia maturior eò tandem elu-  
ctata est: ut cuivis, cum dices, &  
Theologus Ecclesiasticarum rerum scientis-  
simus, & Jurisconsultus peritissimus, &  
historiæ quæ sacræ, quæ profanæ experientissi-  
mus non injuriâ haberere..

Itaque præstanti eloquentiæ Tuæ exi-  
mius honor in Aula Serenissimi AUGU-  
STI Tertii habitus est tum, cum Serrnis-  
simo.

simorum Xaverii, Caroli, Clementis,  
Albrachti Regiorum Poloniæ Principum  
Cancellarius renunciatus es. Qua in re  
Prudentissimi Regis Augusti Sapientia non  
dignitati solum (uti decebat) Prolis Re-  
giæ, verùm etiam utilitati consuluisse visa  
est: ut eadem operâ, qua Majestatem Re-  
galis Aulæ Tua dignitate augebas, Regiis  
etiam Juvenibus, facem ad eloquentiam  
præferres; planiorem per exempla, quām  
alii per præcepta ad hanc Divinam artem  
viam ostenderes, nec tam Principum no-  
mine responsa dares, quām quemadmo-  
dum esset respondendum, doceres.

Nec vero minore mentis ad cogitan-  
dum acie, quām ad dicendum facultate  
pollebas. Quocirca Serenissimus Divæ  
memoriæ AUGUSTUS quoties de gravio-  
ribus negotiis deliberandum ac decidendum  
esset; Te suorum arcanorum participem, Te  
suorum Cognitorem jurium, Te Arbitrum  
Consiliorū poscebat: ex Tuo pendebat ore, in  
Tuis

Tuis acc̄quiescebat Consiliis, Tuā prudētiā, Tuīs nitebatur sententiīs. Sed neque si decidisses, nisi etiam quod sapientissimē decideras, exequerere, sibi satisfactum īri existimabat AUGUSTUS. Eundem Te, Quem Arbitrum, etiam Executorem suorum esse Consiliorūm volebat. Itaque nulla erat tam expeditio difficultis, quam Tibi non commiserit, nulla tam tumultuosa seditio, quam non industria Tua posse componi crediderit. Cum certissimē sibi perswasum habuisset: vel Tibi, si quid excellentem industriam posceret, committendum esse, vel nemini.

Namque pr̄stanti cum juris, tum cæterarum rerum pulcherrimarum scientiæ illas etiam adjunxisti dotes, quibus felices negotiorum eventus vel maximē nituntur, authoritatim scilicet in agendo, in cognoscendo prudentiam, in decernendo justitiam. Authoritas ejusmodi fuit, ut vel solo aspectu exasperatos ad seditionem ani-

animos componeres; prudentia tam in  
omnem circumspecta partem, ut omnes  
malo dolo aditus ad fallendum obstrue-  
ret: æquitas tam recti tenax, ut eam &  
Potentissimus quisque rcus metueret, &  
vel calamitosissimus innocens suis asy-  
lum & præsidium rebus fore procul  
omni dubitatione confideret.

Quas ob res equidem affirmare non  
vereor, nunquam alias cum justitiæ, tum  
vero miserorum votis cumulatiū satis  
fuisse factum: quām cum Te toties Lau-  
datus Rex Amplissima Referendarii Re-  
gni dignitate jussisset fungi. Tunc e-  
nimvero cerneret ! GABRIELE PO-  
DOSCIO jus tam illustrī locō dicente  
conticuisse calumniam, procul aufu-  
gisse versutiam, intra fines modestiæ se  
tenuisse potentiam, triumphasse virtu-  
tem, innocentiam, & æquitatem omni-  
bus incessisse lætitiis. Metuebat scili-

F

cet

cet auctoritatem Potentia , temeritas  
magnitudinem animi , pietatem crude-  
litas , sapientiam fallacia. Docuit sua  
male cautos experientia: apud talem  
Judicem , in iis, qui se Quæsitore disce-  
ptant , non ad fortunarum copiam , aut  
claritudinem generis , sed ad veritatem  
attendi: nec eum , qui aut opibūs , aut  
gratiā , sed qui rerum ipsarum testimoniis  
inferior esse convictus fuerit , cau-  
sam amittere.

Ac ista quidem , cum per se præcla-  
rissima sint , vel sola sufficerent , quæ  
Tibi sempiternum Nomen PRINCEPS  
CELSISSIME , nec ullis intermoritu-  
ram sæculis memoriam apud omnes po-  
steros conciliare possent.. Illud vero  
quantum est , Te singulis annis duode-  
cem Polonos Juvenes alere Consuevit-  
se: qui non Paternarum opum impen-  
diō , sed Tuā Ipsius pecuniā , Tuā curā ,  
Tuā

Tua sollicitudine, Tuâ vigilantiâ pulcherrimis imbuerentur moribûs, rerum experientiâ proficerent, lingvas exterarum gentium sibi familiares facerent, juris Civilis eâ, quæ Ingenuum Adolescentem decet, imbuerentur notitiâ? scilicet minus bene Te meritum de Republica credebas fore, si Tux, nisi etiam sequuturæ ætati prospiceres; nec si vivus Illi, nisi mortuus etiam in iis, quos præclarè institueras, Juvenibus prodesses. Adeo excellens in Patriam pietas, nullum non tempus sua cura & sollicitudine complectitur: nec se vitæ hujus mortalî finibûs ita arctari atque concludi sinit: quin omnium omnino sæculorum utilitati serviat.

Cui etenim demum, cum Juventutem pulcherrimis instituimus artibus, si non posteritati prospicimus? Profecto si non in Juventute formanda nostra se er-

ga Patriam exercet pietas , nobiscum  
extinguitur : si in hac etiam parte Rei-  
Publicæ sublevandæ laborat , vel subla-  
tis è medio nobis tamen durat , viget ,  
perennat , vivit . Neque enim meliore  
conditione esse oportet Eum , qui ho-  
stem Patriæ perniciosum sustulit , quām  
qui profuturum olim Civem Rei-Pu-  
blicæ reliquit : ut quemadmodum Huic  
oppressa mali hostis nequitia , non sic  
etiam Alteri egregiè formata Boni Civis  
virtus nominis immortalitatem conciliet .

Itaque de Te PRINCEPS CEL-  
SISSIME nunquam futura conticescet  
ætas . Prædicabunt munificentiam erga  
se Tuam Juvenum à Te institutorum  
Prosapiæ , Quarum Tu Domos quot c-  
ruditis ornasti Viris , tot illustrissimis  
luminibüs auxisti : prædicabunt Provin-  
ciæ non doctis minis quām probis Ma-  
gistratibüs auctæ ; Tota , quanta quan-  
ta

ta est, Eosdem olim Ipsos, Qui ex  
Tua disciplina prodierint, Integerrimos  
privatorum in causis Arbitros, aequis-  
simos in Tribunalibus Judices, Peritis-  
simos in Comitiis Legatos, Ministros  
fidissimos; Senatores optimos experta  
prædicabit Polonia. Ipsi denique, quid-  
quid sunt, quidquid sciunt, quidquid  
in Re-Publica poterunt; Tua se ope  
factos esse, Tuâ Munificentâ scire, Tuô  
beneficiô posse Juvenes prædicabunt:  
Tibi se fortunas, Tibi dignitates, Tibi  
omnia debere dicent: nec tam bene de  
se meritos Parentes Ipsos, à Quibus hoc  
fere solum acceperunt, ut possint vivere,  
quam Tibi, à Quo illud habent incom-  
parabile profecto munus, ut sapienter eti-  
am possint, probè, atque honorificè vi-  
vere, ultro grati animi studio fatebuntur.

Et ista sunt, utinam vero non mul-  
tò plura notitiam Oratoris effugerent!

ista

ista sunt inquam, quæ seu Illustrissimis  
Tuis Fratribus, seu Tibi Ipsi Illustrissi-  
mum debet PODOSCIORUM Nomen.  
Etenim si Majores Vestri nunc a mor-  
tuis existerent, quam putas de illis,  
quam de Te sententiam dicerent? Equi-  
dem si rectè humanorum indelem affe-  
ctuum cognovi, affirmare non dubitem:  
Majores Vestros, si nunc à mortuis [ ut  
diximus ] existerent, & solicitudine tan-  
gi rerum caducarum posset: illud quæ-  
situeros in primis, quam rectè se existi-  
matio, fortunæ, dignitas, quam rectè  
deum suorum res PODOSCIORUM  
haberent. Adirent Curias, Intuerentur  
Comitium, omnes Curules sellas, omnia  
honoratissima Rei-Publicæ circumspice-  
rent subsellia, intellecturi, quin suis e-  
stiam oculis cognituri: num sē mortuīs,  
gloria rāmen & Dignitas PODOSCIO-  
RUM vivat, iisdemne sui Hæredes No-  
minis

minis, quæ Ipsi quondam signârant, insistant vestigiis, idem hac ætate PO-  
DOSCIANÆ virtuti, qui & præterita  
habeatur honor.

Sed posteaquam inter Capitaneos FRAN-  
CISCUM, STANISLAUM inter Nobili-  
tatis Principes, MICHAELEM, inter  
Castellanos, inter Palatinos JOSEPHUM  
sedere conspicerent: quis est, qui non co-  
gitando facile consequatur: Felicissimos  
Illos Posterorum suorum Contemplatores  
sibi nequaquam temperaturos esse, quin  
exilirent præ gaudio; sibi Tantos invicem  
gratularentur Nepotes, faustissimis Ca-  
rissimam Progeniem prosequerentur omni-  
nibus, cum animi sui voluptate maxi-  
ma faterentur: se nec virtute, nec me-  
ritis, sed solo tempore suis fuisse Majo-  
res Posteris dignosque superstites PO-  
DOSCIOS dicerent, Qui suis cum Ma-  
joribus in certamen virtutis, & gloriæ  
contentiōnem venirent.

In

In hoc igitur Illusterrimorum Fratrum Tuorum gloria velut in cardine vertitur, non injuria dici posse, Illos Majorum suorum gloriam exæquasse. Quid? Tibi PRINCEPS CELSISSIME idemne Tuis à Majoribus laudis tribueretur genus? Hic immo vero ad Mæstatis Tux conspectum obstupefactus totus Ille, quantus quantus esset, Redivivorum Cætus non satis facilè apud se opinor statueret: quid sibi priùs in tanta, quantam Avitis adjecisti honoribus, Nominis PODOSCIANI gloria aut agendum, aut dicendum esset. Adspicerent credo se invicem, & Alter Alterum, quid singulos, quid universos de Te sentire pareret, consulueret.

Nec dubitare licet, quin omnes concluderent: Te si nihil amplius quam Prælatus inter Primos insignis, quam Cancellarius, quam Referendarius fuisses: si æqui.

æquitate animi ergā omnes mirifica, pie-  
tate erga miseros eximia, sapientia præ-  
stabili nullum alium præter eos, de qui-  
bus proximè antè meminimus, honoris  
gradum assequerere; cum Illustrissimis Fra-  
tribus Tuis in Eorum numerum, Qui Ma-  
iores adæquârint suos, oportere referti,  
Nunc quoniam Illustrissimam Gentem  
Tuam Archi-Præsulis, Primatis, Præregis  
dignitate auxisti: non video, quid pro incom-  
parabilibus Tuis promeritis æquius, pro Ma-  
jestate dignius universa Tibi PODOSCIO-  
RUM decernat antiquitas: quam ut eorum,  
quibus Te præcessit, oblitera temporum, Tibi  
jus antiquitatis cedat, Te non solùm decus,  
& Lumen Maximum, sed etiam Aucto-  
rem, Caput, & Patentem agnoscat suum:  
nec inter gratulandum bonis ominib[us] pro-  
sequatur, ut unum è Posteris, amplexibus ut  
Parentem ambiat: sed caput ut Parenti, ut Prære-  
gi submittat genu: Archi-Præsule æ manus o-

G

sculum

sculum ritu venerat undorum postulet. Ita admirabili Dignitatis, ac meritorum virtute omnium omnino extatum, quas non vixisti, gloriam complexus es: Majotes Tuos Te posteriores fecisti; e rivulo Fons, Vitis è surculo, è membro Caput, è Filio Parens Illustrissimè PODOSCIORUM Familiæ effectus es.

Qua de re cum Tibi Ipsi non sine gestientis animi sensu gratulamur PRINCEPS CELSISSIME: cum vero Serenissimo STANISLAO AUGUSTO, Nostro Potentissimo & Clementissimo Domino gratias immortales agimus: Qui ut cæteras omnes Regi-Publicæ partes Viris quam maxime idoneis amat committere; sic in Te deligendo eam æquitatem adhibuit, quam & Tua Dignitas, & tanti sapientia Principis, & ipsa Rei-Publicæ tempora postulabant. Quod eò flagrantiori voluntate facimus; quo magis confidimus: Dignitatem hanc Tuam non Ecclesiæ minus

nus atque Poloniæ, quam Societati Nostræ salutarem fore. Multò enim jam ante ostenderas, qualis erga nos hoc tempore futurus es: toties Tuam Societati benevolentiam cum summa propensi animi significatione pollicitus, quoties ejus declarandæ Tibi se opportunitas offerret. Cui beneficio cum recens pulcherri- mæ per publicas litteras commendationis beneficium adjecesti: non video, quid ultra Societas in hoc primo præsertim Dignitatis aditu a Te possit requirere.

Illud tamen supplex a Te præterea Societas Nostra **CELSISIME PRINCEPS** etiam atque etiam efflagitat: ut quemadmodum cœpisti semel, sic eam porro benevolentia Tuâ fovere pergas. Hoc erit inter cætera, quæ Primates Alii in Societatem contulerunt beneficia, maximum. Gloria ac Dignitate Majores vicisti Tuos: munificentia & pietate etiam Antistites, Qui Te præcesserunt, vincere, si voles, po-

teris. Istius tam insignis gloriæ in Socie-  
tate Nostra se Tibi campus aperuit. Equi-  
dem Antecessores Tui ea erga nos libera-  
litate quondam usi sunt, ut nihil reliqui  
fecerint, in quo sux erga Societatem opti-  
mæ voluntatis partes desiderari possent.  
Cujus rei veritas tanto minus probationem  
postulat, quanto eam clarius vel erecta  
funditus, vel apta & dotata Collegia eti-  
am tacente Societate depraedican.

Qua autem rerum tempestate tam for-  
tunatis esse nostris hominibus licuit? illâ  
nempe, quâ Societatis Nomen Orbem  
terrârum in admirationem rapuit, cum  
optimus quisque rebus nostris amicissimè  
plauderet, cum expeditiones longinquas, la-  
bores inumeros, sanguinem pro CHRISTO  
datum litteris consignaret, legeret; admirare-  
tur; cum nemo Societati nisi sui periculô  
honoris obstreporet, cum & ad præclarè  
sentiendum, & ad benignè faciendum com-  
munis excitaret fama, sapientissimi cuius  
que

que provocaret favor, Orbis terrarum invitarent exempla. Illa, illa ætate Antecessores Tui PRINCEPS CELSISSIME, cum nihil minus quam quicunque alii de sua Re-Publica, deque Ecclesia mereri vellent, huc omnem cogitationem contulerant; ne sua erga Societatem liberalitas cujusquam beneficentia concederet.

Quibus autem Societas nunc temporibus utitur? scilicet, quibus nihil Ipsi præter squalorem relictum est, quibus non jam scelus & nequitia, sed virtus, sed æquitas, sed recta ratio (si superis placet) se à nobis querantur deceptas, illusas, violatas, læsas: quibus in tantum apud plerosque odium adducta est, ut mirum esse debeat, si non se ipsum Ordo Noster oderit, & ipse sibi (ut ita cum Poëta loquamur) *non inimicus erit*.

In tam tristi tempestate rerum si Tu CELSISSIME PRINCEPS laboranti Societati velut quoddam Propitium fidus affulse-

fulseris, si manum bonevolam ad juvan-  
dum ceu Numen aliquod tetenderis, si in  
portum benevolentiae Tuæ periclitantem  
recepoperis: quis tandem, qui inficietur, erit,  
qui momenta temporum istorum non fo-  
lum perpenderit, sed etiam cum præterito  
tempore sedulo contulerit, Te in beneficiis  
erga nos neminem unum, qui ante Te fue-  
rint, Antistitem habiturum parem? Ita est  
profecto PRINCEPS Principes inter Po-  
lonos MAXIME: quantò major illa res est,  
quam à Te petimus, eâ, quam ab Anteces-  
soribus habemus Tuis, tantò majore, nisi  
gravaris, beneficio Tibi nos devinctos pu-  
tab mus. Ab Antecessoribus nimirum a-  
gros, prædia, muros, non famam, non bo-  
ni nominis estimationem accepimus. Be-  
neficia Principum quærunt potius probos  
Viros, quam faciunt: & quamvis probita-  
tem Ipsorum, cum beneficiis cumulant, Il-  
lustriore constituant loco: Patroni tamen  
potius & Fautores, quam Auctores esse  
alienæ

alienæ virtutis dicendi sunt. Hæc, hæc solæ  
res est, quæ nostra est, quam nulli alteri  
præter DEUM, nisi nobis debemus ipsis,  
quæ immensis laboribus, infinitis æru-  
mnis, vita quinimo & sanguine Societati  
constitit.

Arqui hæc res, hæc inquam restam caro,  
tantoque labore empta, quanta vi & quantis  
impugnetur machinis, CELSISSIME  
PRINCEPS profecto intelligis. Non id  
Societati constitutum est, ut aduersantes no-  
bis velimus repungere, nemo tamè ferre  
molestè debet, nos inter Viros Principes fa-  
mæ nostræ Patronos ac Defensores quærere.  
Hac si Tu in re Societatem tutari velis, si  
subtilibus litterarum publicarum, commen-  
tis Tua Sapientia atque autoritate inter-  
cedere, Serenissimum Regem de fidelitate,  
Rem Publicam universam de nostro in Pa-  
triam, & Ecclesiam amore Gravissimus Te-  
ftis ceterores facere: non jam solis nobis,  
sed Tibi etiam PRINCEPS CELSISSIME  
famam

famam nostrām ex æquo referemus accep-  
tām, Tibi nos pulchrum nomen, Tibi re-  
ctam existimationem debere libenter fate-  
bimur: nec unquam aut Omnipotenti DÉO  
supplicare pro Te, Tuisquè rebus, aut qua  
cunque demum alia ratione poterimus,  
gratum erga Te memoremque animum  
definemus testari.



ALTERA GRATULATIONIS  
P A R S  
APPLAUSUS LYRICUS  
E I D E M  
CELSISSIMO & REVERENDISSIMO  
D O M I N O  
D. JOANNI GABRIELI  
COMITI IN PODOSIE FUNOSZA  
PODOSKI  
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA  
ARCHIEPISCOPO GNESNENSI  
REGNI POLONIÆ ET MAGNI DUCATUS LITHVANIAE  
PRIMATI, PRIMOQUE PRINCIPI,  
LEGATO NATO &c: &c:  
AB EADEM POLONIÆ MAJORIS SOC: JESV PROVINCKA  
I N S T R U C T U S

# AD LECTOREM

Miraris Lector non multi carminis odas?

Hanc Nostri laudem Principis esse puta.

Maximus est PRINCEPS nullū de PRINCIPETATO

Sit licet immensum, non breve carmen erit



## O D E I.

*Monocolos Tetrastrophos continens vota Provinçiae Majoris Poloniae.*

PRINCEPS Sarmatici Grande Jubar Poli,  
PRINCEPS Purpureo Summus in Ordine,  
Et Qui Sarmaticis Proximus assidens  
Clavum, Coccineus Navitá, Regibus,

Navis Lechia cæ Numine Dextero  
Torques: Cui superum Rector & Arbiter  
Excelsum redimit Præsulea Caput  
Mitrâ conspicuâ vertice duplici:

A2

Cui

Cûi pectus nitido vellere, quatuor  
Augusto Crucibûs cingitur, & Sacra  
Vestis Romuleæ Magnificentia,  
Et fulta emeritô Digna Manus Pedô

Prono Sarmatidem pectori cernuam  
Cogit non solitis tollere honoribûs.  
Cernis: Præsuleos ut ruit ad pedes  
Lojolæa Cohors plaudere fervida?

Non Illa Attalicas munera Principum  
Yestes, nec rutilum divitis Indiæ  
Aurum, nec lepidè fusâ Corinthiûs  
Adfert vaſa locis, Thetide nec satam

Gem-

Gemmas progeniem. Non bene Curiis

Crassorum locuples copia congruit.

Mentis vota Tibi divitias probx,

Quēis nil nobilius, nilque paratius

Divinæ capiunt claustra modestiæ,

PRINCEPS Magne damus, vota perennibûs

Incidenda notis, non Liparæiâ, (a)

Sed quam imo regimus pectore, laminâ.

Vitam decrepiti Nestoris æmulus

Tercentîs vegeto corpore messibûs

Pro-

---

(a) Lipare una ex Liparaëis Insulis Vulcano Sacris de  
qua Claudianus de III. Cons: Honorii: Ignifluisque  
gemit Lipare fumosa cavernis.

Produc: quam patulo commoda Faustitas

Cornu largifluæ ditet Achaidos (b)

Cingat Pacificum Cælipotens Pater

Grato ruricolis munere Verticem

Pacis non dubia Palladis arbore.

- O si Propitius Lechiadis DEUS

Mutatis valido Numine fabulis

Vatum, prisca Tuæ somnia Dexteræ

Cedat! Mercurii & dempta Caduceo (c)

Pacis jura Tuum transferat in Pedum!

ODE

---

(b) Amaltheæ nutrici suæ Oleni in Achaiaæ opido natæ fngitur Jupiter dono cornu dedisse, è quo omnia quæcumque vellet, promeret.

(c) Caduceus virga Mercurii, qua hic fabulosus Deus omnia dissidia credebatur componere.

## ODE II.

Dicòlos Tetrastrophos in qua Poëta dicit:  
CELSISSIMO suo, PRIMATE factō, stu-  
diō scribendi carminis, quod longō intervallō  
intermisit: se vebementer incensum. Deinde  
optat talem, qualis Orpheo tribuitur, vim suo  
carmini concedi: ut non solum homines ad lœ-  
ritiam, sed etiam rupes & sylvæ si non ad cho-  
reas, saltim ad reddendum suo carmine reper-  
cussum PRINCIPIS Nomen se  
excitari sinant.

Jam piget mutos jacuisse nervos,  
Nec sono dudum cecinisse dulci,  
Improbâ promptam remorante cura  
Ludere dextram.

Noctibus nobis Cicero solutis,  
Impigris Idem teritur diebus:

Nec

Nec jacet priscae Venerandus Auctor  
Livius Ärx.

Quæ lego solers imitor: nec ullum  
Prosa dat metro spatiū, tacentque  
Inido Musam prohibente cantu

Barbyta Marco.

Sed procul tandem, procul esto Tulli:  
Tempus est miti recalente ludo  
Garrulo fessos fricuisse blandam  
Pollice buxum;

Te juvat tristi gravitate lentum  
Fundere austeras calamō trimembres:  
Nos

Nos decet læto variare pulsas

Carmine chordas.

Nam nec hic leges Populis feruntur,

Nec malus causam Catilina dicit:

Sed Novus PRÆSUL nova Sarmatarum

Gaudia poscit.

PRÆSUL & PRINCEPS Utriusque Gentis,

Quæve Lechœo sata Patre fertur,

Quamve Reginæ Lechidi Jagello

Littavus addit.

PRÆSUL Illustri Venerandus ortu,

Et Cui multa probitate fetum

B

Pectus

Pectus, & multo locuples Minervæ  
Numine turget.

Nec sat est, si quod Cicero potenti  
Voce, Mortales animos movere  
Gestiam, certus faciles in omnes

Vertere plausus:

Sed graves Cynthos, resedesque sylvas. (d)  
Orphei chordas imitante plectro  
Ardet exultans revocare priscas

Musa chorcas.

Quodsi inexperta gravitate torpent,

Nec

---

(d) Cynthus Delimons pro quolibet monte.

Nec Poëtarum citharîs moventur:

Non tamen cœptum mea conticescent

Barbyta carmen.

Pro vagis vocem repetam choreis:

Ut Tuum, & rupes imitata Vatem,

Nomen, & Sylvæ geminent refractum

Maxime PRINCEPS:

Mille largitô Tibi me Decembres,

Mille refractos repeatant Decembres:

Et datam sparsa decies recantent (e)

Voce salutem.

B2

ODE

---

(e) Turnebus in quodam vico juxta Lutetiam sita unam  
vocem septiles, Ticini in Aula Magnæ Basilicæ ter supra  
decies, refractam affirmsat reddi.

# ODE III.

*Tricolas Tetraستrophos de Virtutibus CEL-  
SISSIMI PRINCIPIIS*

Equis superba sede Propinquior  
Nixus Lecheis Regibus assidet,  
Et juris & legum Magister,  
Et sceleri Metuendus Ultor?

Equis Petrinæ frena Vicarius  
Auctoritatis Lechiades tenet.

Gnesnæque Sublimis Cathedrâ  
Scita Patris Latii tuetur?  
Insignis Alta Stirpe PODOVIUS  
Proles Vetustis Orta Parentibûs:

Sed

Sed Cū decus Virtutis auctos  
Congeminet Patrios honores.

Olli prioris conscientia sæculi  
Canens Vetustas gesta perennibus  
Mandata chartis Æmulanti  
Nosse dedit generosa Patrum.

Illius Amplo pectore providæ  
Sedere leges: quēis trutinans Dea  
Mortalium æqua res bilance  
Regna procul, Populosque frenat.

Ille & peracris munere Præpotens  
Lin-

Lingvæ, Lātini Principis Æmulus,  
Turbæ stupescens diserto  
Attonitas tenet ore menteis.

Illum benignis, quo licuit die,  
Excepit ulnis Relligio Parens  
Natum; & super cunis Repostæ  
Mille genis repetita junxit

Prolis Tenellæ mollibus oscula.  
Pro lacte Sacri nectare Dogmatis  
Pectus perargutum Puelli  
Diva Tuens aluisse fertur.

Sic Pastus olim ( dic age, dic soror

Pim.

Pimplæa) quantos pectore Spiritus (f)

Major foveret, quamve puber

Pulchra daret monumenta quondam

Virtutis haustæ? Scilicet anxiam

Hæc prima mentem cura momorderat:

Rebus caducis ut solutus

**CHRISTE** Tuum cumularet agmen.

Quid? an fugacem negliget insequi

Virtutem adultis gloria passibus?

Ut Phoebus umbram persequenterem

Sic titulos trahit Alta Virtus

Ergo

---

(f) Pimplæa Mons Macedoniae Olympo vicinus, & Mu-  
sis Sacer.

Ergo sagaci Regia lumine  
Prudens, reducta nube modestix,  
Majoribus curis vacare  
Et miseris jubet esse Patrem [g]

Hinc luctuosæ, quas fera luridis  
Fortuna quondam polluit imbribus,  
Riseræ palpebræ, & serenæ  
Explicito micuere vultu.

Nec crimen ullum jura PODOVIO  
Dicente, cinxit tempora Daphnide [h]

Nec

---

[g] Referendarium Regni.

[h] Daphnen vocamus hoc loco Daphnidem a Daphna Regione Thessaliae, in qua Daphnes in laurum esse conversa singitur.

Nec planxit unquam sauciata  
Immeritis probitas querelis.

Seu jure virtus, seu prece dimicet,  
Seu fraude crimen, seu prece fascinet:  
Hoc Arbitro & virtus triumphat,  
Et sceleri male causa cedit.

Hinc læta magnis Lechia plausibûs  
Fertur, remotum Nomen ad æthera  
PODOVII nuper tulisse,  
Hisque Jovem tonuisse votis.

O Vive Pulchri Gloria Sangvinis!  
Vive o PODOVI Nestoreos dies!

C

Ca-

**C**anis nec aspersum pruinis

**S**acra Caput Redimicla cingant.

## **O D E IV.**

*Dicōlos Distrophos Eucbaristica, ad Serenissi-  
mum & Potentissimum STANISLAUM  
AUGUSTUM Poloniarum Regem.*

**R**Ex AUGUSTE Jagellidum,  
Orbis Lechiaci Maximus Arbiter,

Celsō, quo resides loco  
Augustā inferiū despice Palpebrā.

Cernis, Quis propior latus  
Princeps Magne Tuum consequitur Comes?  
Pri-

Prisca stirpe PODOVIUS,  
Et pulchrîs animi dotibûs Inclytus,

Promptum consiliô Caput,  
Et tutum foribûs Pectus aheneis.

Quem non sœva subegerit,  
Non fortuna Virum blanda fefellerit.

Cujus nescia ludere  
Sincero residet Pectore veritas.

Magnis Regibus intimo  
Mentis non dubiæ munere cognitus.

Carus Civibus Incola  
Proles Carpophoræ chara Poloniæ.

Cz

En

En, quēis laudibūs eminet,  
Quem STANSLAE Tuus calculus erigit!

## O D E V.

Dicilos Tetraistrophos ad PROCERES  
FOEDERATOS Regni Polonice, Magni-  
que Ducatus Lithuaniae: Quorum erga CÉL-  
SISSIMUM PRINCIPEM studia imagina-  
tione a Ceris Majorum sumpta  
Pōeta laudat.

MUſæ Lechiades triste silentium  
Festivo celeres rumpite carmine:  
Et pulchro Lechiæ foedere Nobili  
Ævi pangite posteram.

Ven-

Venturi seriem. Discite Sarmatæ:

Quo JUNOSIADAM Numine Præsulem

Sacros Gnesniadum ferre super tholos

Juncta collibuit manu

Conjunctis socia pace QUIRITIBUS.

Clarus PODOVIDUM Sangvis, & Inlytæ

Primis a Patribus Gentis Imagines

Denso Murice Nobiles,

Ab Gentilitiis hoc laquearibus

Affatæ dubios carmine Sarmatas

Narrantur, superis ora Pierio

Oestrō muta moventibūs.

Quæ

Quæ Vos o PROCERES! quæ mora distinet?

Quidni Patritium sede PODOVIDAM

Extincto heu vidua Principe! figitis

Tantis Præsidium malis?

*Tantis.*

An Clarus Proavis expetitur Nepos?

Aut præstans probitas quæritur arduæ

Sedi? Promerito & Sacra recumbere

Ardet Purpura PRINCIPE?

Sunt Nobis Celebres Marte Aborigines,

Sunt & Conspicui consilio Patres,

Bellonæque sinu & Palladis Æmulæ

Pubes artibûs Inclyta.

Cer.

Cernis, Derslaius Signifer ut Minax

Vel picta facie terret? ut ænea

Splendent Phœnicio brachia murice

Empto sanguine Thracidum?

Cernis, muricibus quam rubet Integer

Indutus Tyriam Purpureus togam,

Facundoque sonans ore, Masovia

Alter sede decentior?

Quid? Fervens Carolus num latet inscios?

Tu, quali trifidum fulmen ab æthere

Concussit tremulas impete turreis

Factis stragibus occubans.

Talis

Talis per medios Carole Lapponas  
Infestas acies Threjicio ruens  
Loricatus equo cædis, & occidis,  
Tabo naufragus hostium.

Quin Niclae Tuum, quin recolo memor  
Tempus, Plociaco murice cognitum, [i]  
Jucundumque sata Prole Talassium? [k]  
Quanta Prole Talassium! [\*]

Quid

---

(i) Plura PODOSCIORUM Nomina vide in soluta oratione.

(k) Quidam Talassium eundem esse putant, quem & Hymenæum.

(\*) De Jllustrissimis Fratribus Celfissimi vide in orat soluta.

Quid plures memorē? quid PRAUDICIOS? (1)  
Quos si perpetuo carmine persequar;  
Stellas occiduo vanus in æthere  
Casso lumine computem.

At seu PRAUDICIOS, sive PODOVIDAS  
Piaſti respicitis: nulla Nepotibus  
Gens Lechea suis Nobilior fuit.  
O huc Lechia respice!

Et Tantæ Sobolis Patriti supero  
Miras Gnesniadum Vertice colloca.

D

Di-

---

(1) Id est PRAVVDICIOS, quam vocem ita immi-  
nulmus metrica necessitate coacti.

Dignum tam Merito Sangvine præmium,

Dignum Prosapiâ Decus.

Hæc rerum dubiis Cera QUIRITIBUS.

Hi primùm tacito murmure Principem,

Mox altis Medium poscere vocibüs

Pulchra Stirpe PODOVIDAM.

It clamor tremulus: Fama volucribüs

Pennis ire juvat. Cælipotens Pater

Et JAGELLONIDES [m] Romaq; Cōscia

Laudant vota QUIRITUM.

Favit

---

[m] Serenissimus STANISLAUS AUGUSTUS.

Favit propitio Nūmen ab æthere

Coeptis inde Tuis MAGNE PODOVIDA.

O sic si faveat postea, & aureos

Annis compleat exitus!



Lor i powieści prodko ujka  
Wszystko nas na serce mame  
Serce które skoro uszczęśliwi  
Ta jest szczegolem radości





<http://rcin.org.pl>

2866



XIII-2.94